

*nis dioica*, var. *sylvestris*. *Hieracium pellucidum* (Quod retractum sentio a Cl. Fries et ad H. murorum relatum, haud ægre feram; sed simul cum hoc multa alia quoque reducantur necesse est). *Viola palustris* β. (*Viola uliginosa* Hartm. Fl. Scand.), semper in sylvis subhumidis et juxta rivulos; unde omnes partes tenuiores, etiam calyx subacutus; at *Viola palustris* α. locis duris, primo quidem vere inundatis, unde tota planta glabra, sed mox exsiccatis,

---

Denique proxima æstate 1830, ad Karesuando ad fontes frigidissimas et in locis valde umbrosis lecta est forma quædam media, caulis diffusis, pedunculis axillaribus unifloris, foliis cordatis, petala in hac quoque forma, quæ maxima est, calyce longiora. Ex his nonnihil recedit *St. crassifolia* α. (Fr. Nov.) e Scania, quæ foliis parvis lanceolatis acutis, caulis diffusis, valde diversa videtur a *St. humifusa*, quam Rev. Deinböll retulit e Finnmarkia anno 1821, quæ descriptioni in Wahlenb. Fl. Sv. optime quadrat. Hujus folia omnium obtusissima, et calyces elliptici, obtusi; petala quoque obtusa, fere obovata, quæ a descriptione Cl. Fr. in Nov. n:o 131, ubi: "Sepala lanceolata, acutiuscula, petalis acutis! breviora" dicuntur, abhorret. De qua, cum neque ipse legi, neque loca vidi, nihil est, quod agam. Cetera vero, scil. *St. uliginosa* var. *paludosa* (mihi), *St. crassifolia* α. β. (Wahlenb. Fl. Lappon.), nec non *St. crassifolia* a. b. c. (Fries Nov.) speciem quodammodo efficere videntur. Denique *St. uliginosa* cum var. *alpestri* inter *St. gramin.* et *crassifol.* media, cuius character optimus: "Petala calyce duplo breviora" constanter adest in omnibus formis, quamquam petala in var. *alpestri*, sæpe desunt; cui insuper panicula terminalis est haud raro, ita vero, ut pedunculi semper foliolis sint suffulti.